

SACRA ROMANA ROTA
CORAM

R. P. D. AURELIO SABATTANI, *Ponente*
Nullitatis Sententiae et Nullitatis Matrimonii

(Omissis)

A. QUOAD NULLITATEM SENTENTIAE

II) IN JURE

3) *Nullitas sententiae sequitur ex eo quod pars non habeat personam standi in judicio.*

Nota sunt verba Codicis: «Sententia vitio insanabilis nullitatis laborat, quando... 2.^o) lata est inter partes, quarum altera saltem non habet personam standi in judicio». (can. 1892).

Et recte explicat Wernz-Vidal (*Jus Canonicum*, VI, *De processibus*, ed. 1949, pag. 178, n.^o 203): «Conceptus partis nullo modo confundendus est cum conceptu capacitatis standi in judicio ad agendum vel respondendum: capacitas ad hoc ut quis sit pars confunditur cum capacitate juridica; *capacitas standi in judicio* (capacitas processualis), seu ponendi actus processuales nomine proprio cum effectibus juridicis, *potest non dari in eo qui est pars*, sicuti potest dari subiectum iurium sine iurium exercitio vel cum exercitio restricto».

4) *Amentes, et qui minus firmae mentis sunt, personam non habent standi in judicio.*

a) Isti, enim, «utpote qui nequeunt sua jura recte prosecui aut *defendere*, per seipsos in judicio stare nequeunt, neque tamquam actores neque tamquam rei; sed ipsis dantur tutores vel curatores, qui id muneris ipsorum loco expleant. Id vero non tantum jure Justiniano, in foro Ecclesiae quoad hanc dispositionem recepto, praescriptum reperitur, sed *ad ius etiam naturale referendum est*, ut patet. Unde certum est in judiciis ecclesiasticis non posse tales convenire nec conveniri, idest, actoris vel rei personam sustinere; sed

convenire et conveniri possunt tantum eorum curatores vel tutores» (*Bouix, De jud. eccles.*, t. I, pag. 168).

b) Haec principia, in ipso jure naturae fundata, recepta fuerunt in Codice Juris Canonici: «Pro minoribus et iis qui rationis usu destituti sunt, agere et respondere tenentur eorum parentes aut tutores vel curatores» (can. 1648, § 1); et pressius: «Bonis interdicti et ii qui minus firmæ mentis sunt, stare in iudicio per se ipsi possunt *tantummodo* ut de propriis delictis respondeant: in ceteris agere et respondere debent *per suos curatores*» (can. 1650).

Ideo tum ratione destituti tum etiam ii qui simpliciter mentis debilitate laborant neque actores neque rei in iudicio ecclesiastico esse possunt, idest illi omnes personam standi in iudicio non habent (cfr. *Wernz-Vidal, o.c.*, pag. 180 n.º 205): exceptio habetur pro altera personarum classe, quando processus respicit delicta ab ipsis patrata.

Nunc vero considerandum est quænam sit illa mentis debilitas, quæ aufert capacitatem processualem.

5) *Ad standum in processu, aliqua saltem requiritur discretio iudicii.*

Attenta discussione quæ facta est in præsenti causa, attentisque discrepantibus opinionibus, non quidem in facto, sed in jure expressis, coguntur PP. DD. ad hanc quaestionem delibandam.

A) *Hanc necessitatem discretionis iudicii non videntur persentire qui affirmant*: «In causis matrimonialibus nihil vel fere nihil relinquitur partibus in iudicio, attenta præsentia patroni et Vinculo Defensoris» (Votum Prom. Just., pag. 6); «In causis nullitatis matrimonii non partes ipsae sunt sub accusatione, sed unum vinculum est sub accusatione» (Restr. Juris et Facti pro actrice, pag. 8).

Qui ita argumentantur videntur oblivisci quod:

a) illud *vinculum*, quod unum poneretur sub accusatione, *non est quid extraneum et alienum a persona*, sed *constituit ipsum statum personae* in ordine sacramentali, familiari, sociali, cum effectibus in ambitu physico, psychico, juridico, oeconomico, cuius status proinde eadem persona debet esse quam maxime sollicita.

b) causae de vinculo matrimoniali constituunt «veluti mediam speciem causae contentiosae, quæ *tum privatorum tum reipublicae intersunt*» (*Legabartoccetti, Comm. in Jud. Eccl. Ed. 1950, Vol. I, pag. 297*). Erroneum est ideo considerare quod in huiusmodi processibus omnia demandentur publicae auctoritati, ita ut privati non sint nisi *inertes spectatores*.

c) patronus potest utique multa facere pro cliente: sed oportet quod antea pars intelligat opportunitatem patronum constituendi, valeat decernere talem constitutionem; intelligat et valeat illi subministrare elementa facti ad suum jus defendendum.

B) Item minus recte ad praesentem casum deductum est principium, in se verum: ad substantialia nempe processus *sufficere* «quod in actis inseratur *petitio actoris et contradictio conventi*» (Restr. Juris et Facti pro actrice, pag. 8).

Nam vere nescitur quid valeat illa contradictio, quando procedat a *persona quae vim et proprietatem eiusdem contradictionis non potest percipere*. Tunc enim non esset nisi flatus vocis. Sane «actoris persona et rei non tantum habere debent *moralem seu physicam* capacitatem standi in iudicio, *sed juridicam* et legitimam, seu a jure constituto recognitam» (*Lega-Bartocetti*, o. c., II, pag. 1019, n.º 7).

C) *Neque probari possunt quae leguntur in aliqua decisione* Tribunalis primae instantiae Vicariatus Urbis, diei 22. decembris 1959: «neque in Codice, neque in Instructione citata *ullubi dicitur Iudex debere de capacitate conventi processuali esse sollicitus*; dum, e contra, Iudex vel Tribunal potest admittere vel rejicere libellum postquam viderit *actori (non reo)* legitimam personam esse standi in iudicio (can. 1709, § 1). Reus enim *invitus* in iudicium cogitur et semper... respondere debet...» (Apud «Il Dir. Eccl.», 1961, Fasc. II, P. II, pag. 244, n.º 7).

Animadverti, enim, debet:

a) utique, in sede acceptationis vel rejectionis libelli, unice de actoris capacitate processuali inquirendum est. Nam conventus adhuc stat extra cancellos Tribunalis, et semper extra eosdem cancellos vagabit, si libellus rejiciatur.

b) sed, quando conventus citatur et ideo lis incipit pendere, tunc servandus est can. 1713: «Si lis moveatur ei qui non habet liberam administrationem rerum, de quibus disceptatur, citatio denuncianda est ei qui ipsius nomine iudicium sustinere tenetur *ad normam cann. 1648-1654*». Qui sunt praecise canones respicientes minores, rationis usu destitutos, interdictos, et personas minus firmae mentis.

Neque dicatur id non respicere causas matrimoniales, quia Instructio S. C. de Sacr. 15 augusti 1936, ad art. 77, disponit: «si pars conventa rationis usu sit destituta, *vel minus firmae mentis*, citatio tutori vel curatori denuncianda est».

c) verum utique est, quod «reus invitatus cogitur», sed exinde non sequitur ipsum debere per se respondere, si non est capax se defendendi. Trahitur conventus in ius «obtorto collo», sed non obtruncato capite.

6) *Ad standum in processu requiritur discretio iudicii, causae agendaee proportionata.*

A) Edictum est in quadam decisione N. S. O. diei 20 decembris 1962: «*alius* est status mentis qui exigitur pro valido consensu matrimoniali po-

nendo, et *alius* qui sufficit ad standum in iudicio, praesertim si agitur de parte conventa» (pag. 42, d).

Quod principium, in forma generali in qua sonat, admitti potest, cum in altera parte propositionis haud determinetur genus causae, circa quam standum sit in iudicio.

Videtur, e contra, improbanda illa addita limitatio: «Praesertim si agitur de parte conventa», ac si pro ipsa deterior condicio mentis sufficeret. Quod deprehenditur discrepare a verbis legis (can. 1892, n.º 2: «quarum (partium) altera saltem non habeat personam standi in iudicio»), quae ambobus partibus aequalia jura tribuunt, et magis adhuc alienum esse a systemate juridico, in quo favores sunt pro reo.

B) Sed eadem propositio haud sustineri posset, si ita exprimeretur: «*alius* est status mentis qui exigitur pro valido consensu matrimoniali ponendo, et *alius* qui sufficit ad standum in iudicio in causa nullitatis matrimonii».

Operatur, enim, contrarium principium, quod nunc affirmatur: ut quis stare queat in processu requiritur discretio iudicii, causae agendaee proportionata. Et haec sunt rationes:

a) Quod dicitur de matrimonio, nempe «requiritur *discretio seu maturitas* iudicii, quae sit proportionata matrimoniali contractui» (S.R.R. Dec., Vol. XXXV, Dec. XLV, n.º 4), valet identidem, non quoad mensuram maturitatis, bene vero *quoad proportionem discretionis*, pro quolibet alio contractu, vel *actu juridico*. Et notetur quod ipse processus naturam quandam contractus saltem ad initio habuit (cfr. Bonfante, Istituzioni di Dir. Rom., Ed. IX, pag. 123).

b) reapse instauratio et moderamen relationis processualis est actus qui semper *requirit aestimationem finis et mediorum*, aptitudinis mediorum ad finem, periculorum incumbentium ex instantia vel actu partis alienae. Nam processus est certamen quod decernitur, quamvis super facta obiectiva, non vi physica, sed mentis acie. Unde etiam vir prudens, si conveniatur in iudicio, adiutricem operam jurisconsulti exquirat.

Non valet excipere quod communis litigans illam aestimationem supra relatam non exercet. Nam *aliud* est *de facto* aestimationem illam *non exercere* et illam demandare personae cui litigans fedit, *aliud* sane diversum est litigantem illam aestimationem *exercere non posse*, ob mentis debilitatem.

c) neque dicatur quod pars conventa non debet nisi respondere et confirmare vel minus veritatem factorum adductorum. Nam reus quandoque debet quoque excipere, et praeter facta ab actore allegata, alia elementa, quae forte aliam habent significationem, afferre tenetur: quod facere nequit nisi relationem inter huiusmodi nova elementa et rem contestatam percipiat.

C) Tamen, cum non omnes causae sint eiusdem gravitatis *ratione obiecti* —haud loquimur de difficultatibus juridicis, sed de materia seu obiecto

processus—, non eadem discretio iudicii semper requiritur, sed ea quae tractandae causae videatur proportionata. Ita minor discretio seu maturitas iudicii requiritur in causa de dividendis agri fructibus, quam in causa separationis coniugalibus.

7) *Ad standum in causa nullitatis matrimonii, ea saltem requiritur discretio seu maturitas iudicii, quae necessaria est ad contrahendum.*

a) Dicimus «saltem», quia, si quis, praemissa sufficienti cognitione obiecti formalis contractus, deliberare potest de nuptiis ineundis «*sicuti ceteri contrahunt*», idem non potest certo causam nullitatis ducere «*sicuti ceteri litigant*».

b) Nam imprimis exigitur illa sagacitas necessaria ad recte agendum in quolibet processu (cfr. supra: n.º 6, B, b).

c) Dein illa *peculiaris aestimatio* requiritur, quae respondet adducto capiti nullitatis. Si agatur de causa nullitatis ob defectum consensus, pars conventa, ut formaliter stare possit in iudicio, debet per actum reflexum sibi denuo repraesentare statum mentis et voluntatis suae, vel compartis, vel utriusque tempore nuptiarum: non solum, sed eundem statum aestimare, non quidem in consecrariis iuridicis, sed tamen in formulatione psychologica, in intensitate volitionis, in praevaletia unius vel alterius obiecti. — Ad haec relevanda necessaria est discretio iudicii forsitan maior, non certe minor quam pro coniugio ineundo.

d) *Neque obiciatur* quod, neque per constitutionem curatoris, haec elementa depromi possunt. — Hoc tantum partim verum est. Nam declarata incapacitas processualis partis (non quidem formaliter pronunciata, sed practice admissa ob constitutionem curatoris) iam dubium ingerit de supine non acceptandis eiusdem partis incongruis dictis. Dein curator, praesertim si sit de familia et a quocumque influxu alienus, potest praeteritos eventus coniugii simul cum parte minus firmae mentis percurrere et illi memorare facta et dicta, dein Iudici aperienda, quae veritati et insimul iuribus partis inservire videantur.

e) *Consecrarium valde momentosum* sequitur ex propositione in themate statuta. Nam formulae adhibitae: non exigitur constitutio curatoris pro parte conventa «*quae nunc sui compos appareat*» (cit. sent. S.R.R., 20 decembris 1962), vividetur haec altera sufficiens: curator constitui debet *quotiescumque in parte conventa appareat deficere discretio iudicii*. Unde:

—quando Tribunal recognoscit «fumum boni iuris» in libello quo petitur declaratio nullitatis matrimonii ob amentiam vel defectum discretionis iudicii partis conventae, eadem ratione curare debet ut parti conventae detur curator: alioquin positio Tribunalis quadam contradictione laborat. *Exceptio unica est*: quando nempe accusatur nullitas ob accessum dementialem, qui non habet tractum successivum.

—quando declarata est nullitas matrimonii ob vitium mentis et parti

imponitur vetitum transitus ad alias nuptias, absonum omnino esset quod causa acta foret absque constitutione curatoris pro eadem parte.

—sententia quae declaret nullitatem matrimonii *ob amentiam habitualement vel progressivam* (v. g. *ob schizopreniam*), quando parti ita infirmæ datus non est curator, evidenti nullitate laborat.

Id deducitur, summa evidentiā, ex statuitionibus medicorum legalium circa capacitatem civilem horum infirmorum. Declarat Manunza (*Manuale di Psicopatologia Forense*, Napoli, 1957, pag. 145): «Sotto il riguardo della capacità civile... allo schizofrenico non può essere concessa facoltà di stendere contratti, di decidere matrimoni, trapassi di sostanze; così come deve essergli impedito di testare, di amministrare i beni, di rendere testimonianza. Nelle forme lievi e nelle remissioni di qualche durata, sia spontanee sia successive a cure schokali, il giudizio è reso difficile anche da un certo grado di intontimento, di deficienza... Solo nelle remissioni che perdurano da molti anni si potrà recedere dal provvedimento di interdizione verso quello di inabilitazione, la quale dovrà essere sempre mantenuta come indirizzo generale».

8) *De nullitate sententiae ob defectum constitutionis curatoris.*

A) *Non videtur admitti posse opinio*, quae ita expressa est: «Se il giudice li ritiene sufficientemente capaci (i «minus firmæ mentis»), almeno per rispondere personalmente e senza assistenza in giudizio, non è necessario che egli lo faccia constare in atti, poichè la sola ammissione cosciente è sufficiente; in tal caso, non avendosi in atti, nè espressamente nè equivalentemente (con la costituzione di un curatore) un provvedimento di inabilità, non può essere applicato il can. 1892, 2.º e la sentenza rimane valida a tutti gli effetti, a meno che non si provi che il debole di mente sia stato, per es., interrogato dal tribunale o comunque abbia rivolto al tribunale una qualche comunicazione in uno stato amenziale, nell'accesso amenziale o nello stato pre— o post-accessuale» (F. A. Pugliese, *In tema di difesa d'ufficio delle persone deboli di mente nelle cause matrimoniali ecclesiastiche*, Apud: «Il Diritto Eccl.», 1946, pag. 241, n.º 8/3).

Ast radix seu semen huius dicti minus recti invenitur in praecedenti cl. auctoris declaratione: «La capacità processuale passiva è... un obbligo, non un diritto» (l.c., pag. 240, n.º 7). Unde intelligitur quomodo auctor restringat casus nullitatis sententiae ad assertum merum officium non recte adimpletum, non vero ad jus defensionis quod exerceri non potest valide.

Animadverti debet:

a) actor et conventus pari iure fruuntur in processu: ille utitur actione, hic vero exceptione «quae semper competit et est suapte natura perpetua» (can. 1667). Conferatur, quoad singula jura conventi, Index Codicis, ad verbum «Partes in causa».

b) quod capacitas processualis passiva respondeat tantummodo officio,

non juri, *res inaudita apparet*. Decrevit Coelestinus III, in X.II, 4,2: «cum actoris et rei eadem sit conditio»; et in Sext., r.j. 32, legitur: «Non licet actori quod reo licitum non exsistit». Immo, inde a jure romano, dictum est: «Favorabiliores rei potius, quam actoris (partes) habentur» (Gaius in D. 50, 17, 125).

c) *nullitas sententiae*, in casu, *non provenit* ex aliqua «comunicazione rivolta al Tribunale... nell'accesso amenziale o nello stato pre— o postaccessuale», *sed* ex motivo magis lato, nempe *ex eo quod relatio processualis valide instaurata non fuit*, quia ex una parte habebatur persona minus firmæ mentis, quæ nequibat sua jura recte prosecui aut defendere (cfr. Bouix, o. et l. cit.: supra, n.º 4, a).

B) *Neque probanda est alia opinio, nimis formalistica, juxta quam, nisi praecesserit inhabilitas* expresse vel æquivalenter *pronuntiata, nullitas sententiae declarari nequit* ob defectum capacitatis processualis personæ minus firmæ mentis.

Unde dictum est: «...eum, cui ab Ordinario curator datur, per ipsam curatoris constitutionem, mente infirmis accenseri, et hac de causa facultate agendi atque respondendi in judicio indirecte privari: at *haec privatio consequitur, non praecedit*, constitutionem curatoris...» (Toso, De constitutione curatoris in foro ecclesiastico, — Apud: «Jus Pontificium», 1939, pag. 118). Et in citata *sententia Tribunalis Vicariatus Urbis* legitur: «ante declarationem incapacitatis acta valent, nisi probetur conventus sufficienti discretionem in singulis actibus ponendis caruisse» (l.c., pag. 244).

Animadverti debet:

a) ad has conclusiones Auctores deveniunt quia aliqua decisio Supr. Trib. Signaturæ Apostolicæ, diei 29 aprilis 1939, in *c. Pratensi*, affirmavit *necessitatem processus judicialis* ad curatorem constituendum;

b) tamen, ut merito et perbelle animadvertit Exc.mus Staffa: «Ad hanc necessitatem probandam provocare non possumus ad principia juris naturalis...; neque provocare possumus ad principia juris canonici...; quaeri potest ubinam sint principia ecclesiasticæ legislationis, quæ processum judicalem præcipiant ad curatorem constituendum». Et ostendit quoque Exc.mus auctor neque ex analogia juris probari posse huiusmodi necessitatem processus judicialis ad curatorem constituendum, neque ex communi et constanti sententia doctorum, neque ex stylo et praxi Curiae, cum illa unica contraria decisio solidatam praxim inficere nequeat (Staffa, *De constitutione Curatoris pro mente infirmis in jure canonico*, — Apud «Apollinaris», 1943, pp. 74-75).

c) error enutriebatur quoque ab art. 78 Instructionis S.C. de Sacr., 15 augusti 1936: «In curatore constituendo ab Ordinario procedendum est *juris ordine servato*, audita altera parte, necnon Vinculi defensore». Nam nonnulli, ut Jemolo (*Il matrimonio nel diritto canonico*, pag. 279), intelligebant normam uti exigentem processum judicalem et sententiam inhabilitationis.

d) venit tamen, ad rem merito componendam, responsio Pontificiae Comm. ad Codicem authentice interpretandum, diei 25 januarii anni 1943 (A.A.S., 1943, pag. 58):

«I. Utrum vi can. 1651, § § 1 et 2, ad curatorem dandum iis qui rationis usu destituti, vel *minus firmæ mentis sint*, requiratur regulare iudicium, an sufficiat decretum Ordinarii prævia eiusdem prudenti inquisitione.

II. Utrum *denuntiatio citationis* et communicationis sententiæ de quibus in cann. 1721 et 1877 fieri debeant ipsi rationis usu destituto aut mente infirmo, an eorundem curatori legitime constituto.

Resp.: Ad I et II negative ad primam partem, affirmative ad secundam».

e) apparet, ideo, quod constitutio curatoris est mere *provisio practica et actus prudentiæ pastoralis* Ordinarii. Addatur quod «in foro ecclesiastico *institutum inhabilitationis* (formaliter et per se) *prorsus ignoratur*» (Toso, l.c.). Et conclusio trahi debet quod incongrue opinio relata conatur necessario nexu devincire casus nullitatis sententiæ cum huiusmodi pronuntiationibus.

C) *Nullitas sententiæ ob defectum constitutionis vel interventus curatoris declarari potest et debet, quotiescumque constet coniugem, tempore processus, non frui discretione iudicii necessaria ad contrahendum. Idque independentem a qualibet pronuntiatione inhabilitationis.*

a) Ex reprobatione præcedentium opinionum jam potissimum apparent rationes huius propositionis.

b) *Inspicitur status obiectivus personæ minus firmæ mentis, non pronuntiatio* quæ circa eundem statum haberi potuit, vel minus.

Absurdum enim est quod in causa nullitatis matrimonii «perfecte amentes et ipsi in iudicio stare possint, quia amentia non præsumitur, sed de ea debet judicialiter constare». Et magis absurdum adhuc esset quod jus processuale Ecclesiæ nihil posset contra illam evidentem injustitiam, qua persona, non valens suis iuribus providere, gravetur sententia pronuntiata in processu, in quo illa non fuit efficaciter repræsentata.

c) *Neque Ecclesia relinquere potest auctoritati civili iudicium circa necessitatem* constitutionis curatoris, ita ut, si circa aliquam personam nulla interveniret provisio fori laicalis, eidem personæ necessario recognosci debeat capacitas processualis in causa nullitatis matrimonii.

Idque duabus de rationibus: primum, quia iudex civilis pronuntiat interdictionem vel inhabilitationem tantummodo ad instantiam; dein quia «pro-num est has statuiones in sua immediata et nativa vi non posse transferri in nostris foris... quia potissimum aliis criteriis innituntur, quæ haud semper cum requisitis ad consensum canonicum componi queunt» (S.R.R., die 24 februarii 1961, c. Sabattani).

d) «At, si sententia declaranda est nulla, idem non necessario dicendum

est de actis causae». — Hoc principium enuntiavit S.R.R. (in una Insulen., die 8 junii 1963, c. *Anné*).

Et ratio traditur a Wernz-Vidal: «Quodsi vitium, ex quo (sententia) declarata fuit nulla, erat absoluta iudicis incompetencia, etiam ipsi actus iudiciales eodem vitio inficiuntur nec invocari possunt cum vero iudiciali charactere sint destituti; sin vero vitium nullitatis proveniebat ex eo quod una saltem pars non habuit personam standi in iudicio aut ex defectu mandati procuratorii in eo qui pro alio agit, iidem actus iudiciales ordinari ad sententiam, quae debuit declarari nulla, invocari non possunt *in alterius praejudicium*, sed opponi potest principium «res inter alios acta aliis nec nocet nec prodest» (Jus Canonicum, t. VI, De processibus, Romae, 1927, pag. 571, n.º 621).

Circa actus iudiciales confectos in absentia curatoris unicum praejudicium esse potest quod forte in favorem partis minus firmae mentis non fuerit sufficienter petatum et deductum. Tunc, declarata nullitate sententiae, et actis curatori intimatis eique praestituto termino ad novas petendas probationes, super iisdem actis possunt Iudices de more devenire ad sententiam de merito.

9) *De constitutione curatoris: quaestiones practicae.*

a) Optima decisio N.S.O., diei 10 augusti 1932, c. *Mannuci*, jam recte solvebat quaestionem dein agitatam et definitam a Pontificia Commissione ad Codicem interpretandum de non requisita forma iudiciali constitutionis curatoris, animadvertendo quod Ordinarius «etsi ad finem experiundi iudicii, sed *extra et ante iudicium*, tutorem vel curatorem assignat ad mentem can. 1648 et sq., cum *tota res committatur prudentiae pastorali*, cui nulla forma procedendi in iure praescribitur...» (S.R.R. Dec., vol. XXIV, dec. XLV, n.º 2).

b) Eadem sententia rite adumbratur *relatio intercedens inter Ordinarium et Iudices*: curator, ab Ordinario constitutus, ex ipso decreto constitutionis accipit personam standi in iudicio pro parte, nec iudices inquirere possunt praejudicialiter de legitimitate illius constitutionis, neve recursum recipere contra eandem constitutionem: «iudicibus, ad effectum merae vocationis in ius, in casu, satis esse debere praesumptionem quae stat pro Superiore».

c) Habentur *casus in quibus curator dari debet a iudice*, juxta can. 1648, § 2. Tunc, ut merito animadvertit Exc.mus Staffa (o.c., pag. 73, 79), procedendum est iudiciali modo et quaestio de constitutione curatoris solvenda est juxta morem quaestionum incidentalium.

Ad casus relatos a can. 1648, § 2, nempe quando jura personae infirmae mentis sunt in conflictu cum iuribus curatoris, vel quando infirmus uti nequit ob distantiam curatore jam constituto, *addendus videtur casus partis in causa, quae fit amens vel minus firmae mentis durante processus*. Tunc relatio processualis jam valide est instaurata et causa facta est propria illius iudicis, qui ideo providebit novae necessitati per constitutionem curatoris iudiciali modo.

d) *Nullum jus, e contra, competit iudici*, quoad constitutionem curatoris, ex eo quod durante processu, vel etiam in altera instantia, detegitur defectus constitutionis curatoris ob inadvertentiam vel ignorantiam; curatoris, dicimus, qui necessarius fuisset inde ab initio. Tunc enim *nulla relatio processualis valide instaurata est*, et celebratus processus non est nisi species externa, quia, quamvis iudex esset competens, deficiebat altera pars ad effectus processuales.

Ideo res deferri debet *ad Ordinarium*, qui curatorem constituat, et ita nexus vere processualis devinci queat.

e) In discussione huius causae expressa est quoque haec sollicitudo: «Caute procedendum est ne, sub praetextu possibilis sententiae nullae, quis privetur jure naturali standi in iudicio, nec alicui licet injuriam inferre in societate per constitutionem curatoris» (Votum Promotoris Just., pag. 5).

Ast, uti jam relatum est ex citata sententia c. Mannucci (supra, b), «praesumptio stat pro Superiore (curatorem constituyente)». Tamen, uti adnotatur in eadem decisione, illa praesumptio «deinde in constituenda probatione adeo deficere potest, ut caveri tunc debeat, ne sententia nullitate insanabili vitietur ad mentem can. 1892, n.º 3», seu ob defectum legitimi mandati. Casus tamen erit extraordinarius.

Omnibus attentis, PP. DD. animadvertendum censent quod, ad curatorem constituendum, non requiritur praecedens interdictio vel inhabilitatio, sed nec examen peritale: unde curator, ad finem tantummodo experiundi iudicii datus, non maiorem affert injuriam in societate quam ipsa acceptatio, facta a Tribunali, causae nullitatis ob defectum discretionis iudicii eiusdem personae.

Unde congruum videtur quod Ordinarii non difficiles se praebeant in curatore ad processum tribuendo, eo vel magis quod, in causa agenda, ab iis qui tantummodo minus firmae mentis sunt non omnino abstrahitur, cum iidem, ad praescriptum iudicis, respondere per se possint et debeant.

III) IN FACTO

10) *Peritus ex officio dixit conventum incapacem standi in iudicio.*

... ..

11) *Ceterum ipse modus agendi viri durante depositione ostendit ipsum non firmae mentis esse.*

... ..

12) *Neque iuvat allegare Ordinarium in prima instantia curatorem non constituisse: nam ille rem numquam consideravit.*

... ..

Ideo nullitas sententiae primae instantiae declarari debet.

B. QUOAD NULLITATEM MATRIMONII

IV) IN JURE

13) *Revocantur principia medico-juridica de schizoprenia et de eius vi in impedienda discretione iudicii necessaria ad contrahendum.*

Cum PP. DD. jam occasionem habuerint diffuse evolendi in jure quaestionem propositam (S.R.R., in una Tridentina, diei 24 martii 1961, c. Sabattani), non est cur hic eadem principia denuo referantur ample.

a) Sufficiat revocare, pro applicatione ad casum, quatenus sint synthemata morbi schizoprenici certo jam vigentis, seu qualificati. Hac in re doctrina perhibet semeioticam sat tutam, in qua omnes auctores consentiunt.

MANFREDUS BLEULER, in «Lehrbuch der Psychiatrie» (10, Aufl., 1960) signum certissimum ponit in *anaffectivitate*, quam ipse vocat «Verlust der affektiven Modulationfähigkeit» (amissionem capacitatis modulationis affectivae) vel «affektiven Steifigkeit» (rigiditatem affectivam) (pag. 362). Signum certum ipse tradit in *summa ingenii mutabilitate, in transitu necopinato et improvviso ab una ad aliam affectionem*, quod vivide Bleuler exprimit per «Registerziehen» (pag. 362), seu cum organi pulsator inconsulto vocum et sonitum ordines permutat. Alia signa indicat in «Störungen des Gedankenganges» (*perturbatio in cursu vel catena cogitationum*: o. c., pag. 357) et in «Gleichgültigkeit» (*descipientia erga familiam*: o. c., pag. 361).

PALMIERI haec signa memorat: «progressivo sganciamento dall'ambiente, anaffettività, abulia, automatismo» et «dare libero sfogo ad impulsi elementari di violenza e di libidine» (Medicina Legale Canonistica, Napoli, 1955, pag. 59).

MANUNZA notat, inter alia, haec synthemata: «*astolidità della condotta*: serie di continue incongruenze negli atti, sciocchi ed improvvisi atteggiamenti; *autismo*: rottura di contatti col mondo esteriore... adagiarsi in un mondo interiore immaginario e fantastico... fuga... senza ragione, senza meta, improvvisamente» (Psicopatologia Forense, Napoli, 1957, pag. 131 e 136).

Neque obliviscendum est *semeioticam principem* cuiuscumque amentiae suppeditari a *deliriis et alucinationibus*.

b) Ex eadem decisione depromuntur haec alia principia.

Dissociatio spiritus, a schizoprenia inductus in quolibet eius gradu sufficienter qualificato, impedit illam discretionem iudicii, quae necessaria est ad contrahendum.

Cum schizoprenia sit morbus qualitativus seu structuralis, non vero quantitativus, statuto certo initio morbi qualificati, statutaque successiva evolutione eiusdem morbi, praesumitur schizoprenia concomitans relate ad nuptias celebratas tempore intermedio.

Si vero synthematibus morbi qualificati addantur episodica quaedam sat aperta haud firmæ mentis contrahentis tempore coniugii, tunc non solum præsumptio, sed vera probatio habetur deficientis discretionis iudicii, plus vel minus plena juxta gravitatem signorum concomitantium eorumque proximitatem ad nuptias.

In probatione amentiae «admitti possunt testes singulares singularitate adminiculativa, qui deponunt de actibus diversis quidem, sed mutuo se adiuvantibus ad probandum idem factum genericum» (S.R.R. Dec., Vol. XV, Dec. 14, n.º 5). Dixerat jam MASCARDUS (De probationibus, concl. 503, n.º 16): «cum agitur de probando quid universum, idest aliquem esse dementem, sufficiunt testes singulares».

V) IN FACTO

14) *Initium morbi psychici in viro certum est jam... septennio ante nuptias, quando ad duos menses detrusus fuit in nosocomio neurologico militari et dein ab armis dimisus, minime obstante bello jam saeviente.*

... ..

15) *Synthemata schizophreniae in viro convento.*

... ..

16) *Deliriis quoque affectus erat: eius mens morbida semper conspicebat incestus uxoris cum patre et fratribus.*

... ..

17) *Alucinationes visivas et auditivas passus est vir conventus quoque hebdomada ante nuptias.*

... ..

18) *Aliae abnormitates in dictis et factis viri conventi die nuptiarum.*

... ..

19) *Viri detrusiones, ante et post nuptias, in amentium nosocomium.*

... ..

20) *Dissolutio matrimonii civilis, a Tribunali laico pronuntiata, ob amentiam viri conventi.*

... ..

21) *Peritus ex officio recognovit virum conventum, utpote jam affectum schizophrenia hebefrenica in phasi qualificata, incapacem consensus matrimonialis. Et alii duo medici in idem valde inclinant.*

... ..

22) *Quibus omnibus tum in jure tum in facto rite perpensis et consideratis, Nos infrascripti Auditores de turno, pro Tribunali sedentes ac solum*

SACRA ROMANA ROTA CORAM SABATTANI

Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, edicimus, declaramus ac definitive sententiamus, ad proposita dubia respondentes:

I) Ad primum: AFFIRMATIVE, seu «SENTENTIAM NULLITATE LABORARE, in casu»;

II) Ad secundum: AFFIRMATIVE, seu «CONSTARE DU NULLITATE MATRIMONII, in casu, VETITO VIRO TRANSITU AD ALIAS NUPTIAS».

... ..

Romae, in Sede Tribunalis S.R. Rotae, die 20 martii anni 1964.